



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Ioannes Bonvs. 22. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

**G**enuit Mantua IOANNEM BONVM. sed, o malum! bonum divitiarum non siverunt esse. Nempe dubites, an, cum demortuo parente hereditatem adiit, plures nummos an vitia numeraret. Unica jam mater suis apud DEVM precibus sustinebat in præceptis ruentem: frustra etiam ipsa futura, nã morbus quoque manum iniecisset, lectuloque affixisset. Hic, uti ferè amat, gustum illivoluptatum abstulit, quæ nuper tam sapiebant: jamque ut valeret IOANNES, valere mundum iussit, & vitam Religiosam vovit. Hâc salutari medicinâ in pedes erectus, morbi sui fomenta (divitias) non in vitus abiecit, & post vitam prope Cæsenam in summâ austeritate aliquandiu actam, in eremum ad D. Augustini partes transit, Ordinemque cum magnis incrementis & miraculis amplificavit: quin adeo subinde ad castissima vulnerum oscula ab ipsomet Christo in cruce est invitatus. Sed nondum etiam hic extra teli jactum castitas stetit. Huc etiam sagittas suas misit Amor improbus. Et jam corpus à flammis imparis æstuabat, jam pudor vicinus incendia metuebat; cum contra tela infanda, tela alia, arundines strinxit IOANNES, & (sub primores digitos tam validè adegit, ut triduum exanimis jacuerit. Triumphavit tamen hostem è celo recreatus, & eximius dehinc ab hostilibus ejusmodi incurfibus vixit, Cupidine plus jam arundinum aculeos, quàm apum olim fugiente. *Ex Ferr.*

*Reverà hæc est vera cordis requies, cum totum àn amorem Dei per desiderium figitur, nec quidquam aliud appetit, sed in eo, quod tenet, felicitatam quâdam dulcedine delectatur, delectando jucundatur. S. Aug. Manual, c. 292.*